

# GIURISPRUDENZA

---

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 30265/99 C.A., Dimissione, 15 dicembre 2001 (sentenza); 30 ottobre 2003 (decreto), 11 marzo 2014 (decreto); 17 novembre 2004 (decreto).\*

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. N. 30265/99 C.A.

N.

Dimissionis

(Soror X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Ioannis Pauli PP. II anno Summi Pontificatus xxiv, die 15 Decembris a. 2001

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Mario Francisco Card. Pompedda, *Praefecto*, Ioanne Petro Card. Schotte, Gilberto Card. Agustoni, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Iosepho Mercieca, Iuliano Herranz, Philippo Giannini, Eduardo Davino, Henrico Mussinghoff, Francisco Coccopalmerio, *Ponente*, Thoma Georgio Doran, et Xaverio Echevarría Rodriguez, hanc tulit

SENTENTIAM DEFINITIVAM

in causa N, Dimissionis, Prot. N. 30265/99 C.A. inter *recurrentem* Rev.dam Sororem X, representatam per Rev.dum Adv.tum A, et

\* Vedi dopo la sentenza il commento di G. PARISE, *Dimissione dall'istituto religioso ob alias graves causas (can. 696 § 1) ed istanza di restitutio in integrum*.

*resistentem* Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, repraesentatam per Cl.mam Adv.tam Martham Wegan, interveniente Rev.mo Francisco Daneels, o. praem., Promotore Iustitiae, *respondens recursui* ad Hoc Supremum Tribunal interposito, ad normam art. 123, § 1, Const. Ap. *Pastor bonus*, adversus decisionem qua Congregatio resistens die 12 Iunii 1999 reiecit recursum hierarchicum Reverendae Sororis x adversus eius dimissionem ab Instituto Y, v.d. "Z" seu "W", quae dimissio decreta est a competenti auctoritate Instituti et confirmata est a Congregatione IVC-SVA die 16 Aprilis 1999.

#### FACTI SPECIES

1. – Soror X die 5 Iunii 1998 aperit rationem nummariam apud mensam argentariam "R" sine cognitione et sine permissione Superiorissarum, id est Superiorissae provincialis.

In hac ratione nummaria exstant pecunia ab amicis accepta (3.000 DM) et insuper aliae summae quae veniunt ex honorariis activitatis Sororis.

Litteris diei 25 Septembris et 28 Septembris 1998 Superiorissa generalis dat Sorori, relate ad hanc rationem nummariam, quaedam praescripta vi voti oboedientiae et cum praevisione procedurae dimissionis in casu inoboedientiae. Substantialiter ipsa Sorori clausuram praecipit rationis nummariae.

Soror autem eam non claudit, sed eam relinquit sine ulla pecunia ("Der Kontoauszug von 25.09.1998 sagt aus, das auf Ihrem Konto kein Geld mehr ist, dasselbe aber noch besteht").

Litteris diei 19 Octobris 1998 Superiorissa generalis iterum dat eadem praescripta. Vel ipsa Antistita generalis epistola diei 8 Novembris 1998 Sororem iubet tradere Superiorissae provinciali:

a) librum rationis nummariae v.d. "das Kontobuch"; b) extracta omnia rationis nummariae; c) documenta originalia aperitionis et clausurae eiusdem; d) delegationem seu facultatem pro Superiorissa provinciali invisendi rationem nummariam apud ipsam mensam argentariam ad inspiciendas variationes iam ab initio. Quae praescripta dantur vi voti oboedientiae et cum praevisione procedurae dimissionis in casu inoboedientiae.

Soror autem respondet Superiorissam generalem bene scire quod iam a die 25 Septembris non existit ratio nummaria et proinde inutile esse dare Superiorissae provinciali delegationem seu facultatem invisendi eandem.

2. – Prior procedura dimissionis.

Superiorissa generalis die 21 Novembris 1998, audito Consilio generali, decisionem sumit incipiendi proceduram dimissionis.

Ipsa litteris diei 21 Novembris 1998 Sorori dat praescripta de quibus in litteris 8 Novembris 1998, concedit spatium quindecim dierum, asserens agi de prima monitione.

Soror vero die 4 Decembris 1998 ita respondet:

a) se quaesivisse documentum clausurae rationis nummariae, sed mensam argentariam in eiusmodi casu non dare documentum de re, sed tantum ultimum extractum, id est diei 25 Septembris 1998, ex quo patet pecuniam amplius non adesse in ratione nummaria, et hoc documentum iam traditum esse Superiorissae provinciali;

b) reliqua extracta rationis nummariae

exstare apud amicos, illosque tantum scire locum, atque se tutari debere intimitatem, seu v.d. "privacy", amicorum;

c) ideo sensum non habere concessionem delegationis pro Superiorissa provinciali invisendi documenta apud mensam argentariam;

d) se minime negasse oboedientiam, cum responsabiliter egerit et a vexationibus Superiorissarum constricta;

e) proceduram dimissionis, iuxta ius Instituti proprium, incipere debere a Superiorissa provinciali et cum assensu Consilii provincialis (non a Superiorissa generali et cum sola auditione Consilii).

Superiorissa generalis litteris 7 Decembris 1998 eadem dat praescripta (excepto "Kontobuch") necnon spatium unius mensis et declarat agi de secunda monitione.

Binis litteris 25 Decembris 1998 ad Superiorissam generalem et Superiorissam provincialem datis, Soror defendit suum modum agendi. Ita etiam epistola diei 31 Decembris 1998 ad Superiorissam provincialem data.

Die 7 Ianuarii 1999 Consilium generale decidit unanimiter dimissionem sororis.

Superiorissa generalis dein die 20 Ianuarii 1999 emittit decretum dimissionis et confirmationem decreti petit a Congregatione IVC-SVA, quae autem die 29 Ianuarii 1999 modo orali significat servandam esse proceduram dimissionis quae sit secundum ius Instituti proprium, id est incipiendo a Superiorissa provincia-

del conto.

li cum consensu sui Consilii. Proinde Congregatio non confirmat decretum dimissionis.

3. – Altera procedura dimissionis.

Superiorissa provincialis die 29 Ianuarii 1999 obtinet ab omnibus Consiliariis provincialibus consensum ad proceduram dimissionis. Hunc consensum prima vice Superiorissa iam acceperat die 9 Ianuarii 1999 occasione sessionis Consilii provincialis.

Litteris diei 30 Ianuarii 1999 Superiorissa provincialis dat Sorori praescripta de quibus in litteris 8 Novembris 1998 (excepto "Kontobuch"), concedit spatium quindecim dierum, declarat agi de prima monitione et Sororem certiolem facit de iure seu libertate plene sese defendendi coram Superiorissa provinciali vel Superiorissa generali.

Soror epistola diei 11 Februarii 1999 respondet, movens adversus litteras Superiorissae provincialis plures animadversiones criticas sub aspectu iuridico et declarans proceduram esse invalidam. Ipsa tamen praescripta non adimplet.

Notetur bene Sororem hoc tempore potuisse tradere documentum clausurae rationis nummariae, quod prae manibus habebat iam a die 25 Ianuarii 1999.

Die 16 Februarii 1999 Consilium provinciale profert iterum consensum ad continuationem proceduram dimissionis. Eadem die Superiorissa provincialis Sorori eadem praescripta imponit, spatium unius mensis concedit et animadvertit agi de secunda monitione.

Soror die 24 Februarii 1999 respondet, movens adhuc animadversiones criticas relate ad invaliditatem proceduram, sed non adimplet praescripta.

Die 20 Martii 1999, id est transacto spatio unius mensis a die 16 Februarii, Superiorissa provincialis deliberat cum consensu Consilii provincialis transmissionem quaestionis pro decisione dimissionis ad Superiorissam generalem, quae die 25 Martii 1999 una cum Consilio generali deliberat dimissionem Sororis et die 27 Martii 1999 emittit decretum dimissionis idque trasmittit Congregationi IVC-SVA.

Quod Dicasterium die 16 Aprilis 1999 confirmat decretum dimissionis.

Die tandem 29 Aprilis 1999 decretum confirmatum notum fit Sorori.

4. – Recursus Sororis ad Congregationem IVC-SVA.

Die 2 Martii 1999 Soror recurrit ad Congregationem IVC-SVA et die 31 Martii tradit sua motiva. Congregatio autem die 12 Iunii 1999 recursum Sororis reicit.

5. – Recursus Sororis ad H.S.T.

Soror die 21 Iunii 1999 recurrit ad H.S.T., die 9 Iulii motiva recursus exponit et dein epistola diei 1 Decembris 1999 Rev. dum A uti Patronum proponit, qui die 7 Iulii 2000 lingua germanica memoriale pro Sorore exhibet, quod constat 19 pp., cuique 49 documenta adnexa sunt.

Cl.ma M. Wegan, Patrona Congregationis et [Institutum] Y, die 9 Augusti 2000 memoriale exhibet et Promotor Iustitiae die 30 Novembris 2000 votum profert pro rei veritate super quaestione an recursus admittendus sit ad disceptationem, cui voto replicant Cl.ma Patrona Congregationis et Rev.dus Patronus Recurrentis.

Promotor Iustitiae dein quasdam ani-

madversiones exarat ad Rev.di Sororis x Patroni responsionem.

In Congressu diei 24 Ianuarii 2001 recursus ad disceptationem admittitur et die 6 Aprilis 2001 dubium sub hac formula concordatur:

“An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 12 Iunii 1999”.

Exhibent tum suum quisque memoriale Cl.ma Wegan die 2 Iulii 2001 et Rev.dus A die 16 Augusti 2001. Uterque Patronus etiam nova documenta super conditione hodierna Sororis adducit, Rev. dus vero Patronus Recurrentis quoque explicationem Sororis de rationibus nummariis quas ipsa annis 1973-1998 habuit et praesertim extracta illius rationis nummariae, quam ipsa anno 1998 gessit.

Rev.mus Promotor Iustitiae die 6 Octobris 2001 votum pro rei veritate exhibet, cui replicat Rev.dus Recurrentis Patronus. Idem tandem Promotor Iustitiae novissimus scribit die 24 Octobris 2001.

#### IN IURE

6. – De causa dimissionis sodalis a votis perpetuis agit can. 696, § 1: “Sodalis dimitti etiam potest ob alias causas, dummodo sint graves, externae, imputabiles et iuridice comprobatae, uti sunt: ... pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi”.

Videamus singula elementa:

- a) inoboedientia: non facere quod iussum est vel facere quod vetitum est;
- b) pertinax: quae perguit in tempore (cf. can. 1326, § 1, n. 1), id est non tantum unus actus inoboedientiae, sed condicio permanens;

- c) praescripta: iussa vel vetita;  
 d) legitima: praescripta data secundum legem, data, scilicet, ad adimplendas obligationes sive Superiorum sive sodalium et data in ambitu competentiae Superiorum;  
 e) Superiorum: patet;  
 f) in materia gravi: obligationes quas praescripta continent sunt obligationes graves.
- Haec inoboedientia esse debet:
- a) externa: peracta non solummodo in interiore voluntate personae, sed etiam per actus visibiles;  
 b) imputabilis: proveniens a libera voluntate personae;  
 c) iuridice comprobata: constans documentis vel testibus;  
 d) gravis: sive obiective, sive subiective:

- obiective: id est in materia gravi, sicut supra explicavimus,  
 - subiective: id est ut talis a subiecto agnita et intenta.

7. – Quoad proceduram dimissionis prae oculis habendi sunt cann. 697-699 necnon ius proprium [Institutum] Y:

“In casibus de quibus in can. 696, si Superior maior, audito suo consilio, censuerit processum dimissionis esse inchoandum:

- 1° probationes colligat vel compleat;  
 2° sodalem scripto vel coram duobus testibus moneat cum explicita comminatione subsequaturae dimissionis et data sodali plena facultate sese defendendi; quod si monitio incassum cedat, ad alteram monitionem, spatio saltem quindecim dierum interposito, procedat;  
 3° si haec quoque monitio incassum ceciderit et Superior maior cum suo consilio censuerit de incorrigibilitate satis constare et defensiones sodalis insufficientes esse, post quindecim dies ab

ultima monitione frustra elapsos, acta omnia ab ipso Superiore maiore et a notario subscripta una cum responsionibus sodalis ab ipso sodale subscriptis supremo Moderatori transmittat” (can. 697).

“In omnibus casibus, de quibus in cann. 695 et 696, firmum semper manet ius sodalis cum supremo Moderatore communicandi et illi directe suas defensiones exhibendi” (can. 698).

“Supremus Moderator cum suo consilio, quod ad validitatem saltem quatuor membris constare debet, collegialiter procedat ad probationes, argumenta et defensiones accurate perpendenda, et si per secretam suffragationem id decisum fuerit, decretum dimissionis ferat, expressis ad validitatem saltem summarie motivis in iure et in facto” (can. 699).

Ius proprium [Institutum] Y non solum auditionem consilii ex parte Superioris maioris requirit (can. 697), sed ut procedura incipiat a Superiorissa provinciali, quae habere debet consensum Consilii provincialis.

#### IN FACTO

8. – Causa dimissionis Sororis X est pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi (can. 696, § 1) et haec inoboedientia fuit gravis, externa, imputabilis et legitime comprobata.

Videamus singula elementa:

- a) Superiores sunt Superiorissa provincialis et Superiorissa generalis.  
 b) Praescripta Superiorissarum inveniuntur praesertim in litteris Superiorissae generalis dierum 8 Novembris, 21 Novembris et 7 Decembris 1998 necnon

in litteris Superiorissae provincialis dierum 30 Ianuarii et 16 Februarii 1999.

Praescripta sunt haec:

- claudere rationem nummariam et exhibere Superiorissae provinciali documentum originale clausurae;
- exhibere Superiorissae tam integrum documentum aperitionis quam extracta omnia rationis nummariae;
- concedere Superiorissae provinciali delegationem seu facultatem invisendi rationem nummariam apud ipsam mensam argentariam.

c) Legitima sunt dicta praescripta, quia data sunt ad hoc ut Superiorissae cognoscere et iudicare possint de modo agendi sodalis, qui modus agendi implicat gestionem pecuniae, tangit votum paupertatis, potest pericula secum ferre, et ita porro. Proinde praescripta sunt legitima, quia data sunt in ambitu competentiae Superiorissarum et ad exsequendas obligationes ipsarum et Sororis.

d) In materia gravi data sunt illa praescripta, quia gestio pecuniae ex parte alicuius sodalis et obligatio Superiorissarum invisendi sunt quidem res graves.

e) Inoboedientia ex parte Sororis evincitur sine dubio ex facto quod illa:

- clausit utique rationem nummariam, sed solummodo die 21 Novembris 1998 et documentum mensae argentariae prae manibus Soror habuit iam die 25 Ianuarii 1998; proinde id tradere potuisset post primam monitionem alterius procedurae; tamen numquam tradidit Superiorissis documentum originale talis clausurae; id tradidit solummodo in recursu hierarchico Congregationi;
- tradidit dimidiam partem documenti aperitionis rationis nummariae et extractum diei 25 Septembris 1998; tamen

numquam tradidit superiorissis integrum documentum aperitionis eiusdem necnon extracta omnia; primum invocavit secretum servandum, ad tutandam "privacy" amicorum, sed in epistola diei 2 Martii 1999 Superiorissae provinciali dixit se paratam esse, sub condicione, ad ea exhibenda; ea tamen de facto non exhibuit;

- numquam concessit Superiorissae provinciali delegationem seu facultatem invisendi rationem nummariam apud ipsam mensam argentariam.

f) Pertinax fuit dicta inoboedientia, quia praescripta data sunt pluries (cf. documenta supra indicata sub littera b) et soror X non fecit id quod pluries iussum est.

g) Externa fuit inoboedientia, prout omnino patet.

h) Imputabilis, prout etiam patet.

i) Legitime comprobata, quia plura de hac documenta exstant.

l) Gravis:

- Obiective inoboedientia fuit gravis, quia praescripta fuerunt gravia, id est in materia gravi, sicut supra iam diximus.

- Fuitne etiam subiective gravis? Aliis verbis, intellexitne Soror praescripta Superiorissarum esse gravia et voluitne libere iisdem praescriptis non oboedire? Ipsa sine dubio intellexit praescripta fuisse gravia. Nam non possumus admittere quod Soror tam instructa gravitatem praescriptorum non intellexisset. Ipsa quoque libere voluit non oboedire, quia praescriptis oboedire revera poterat et tamen ipsis non oboedivit.

m) Aderatne autem forsitan excusatio praescriptis oboediendi? Eventualis excusatio provenire potuisset ex duobus

motivis: vel ex impossibilitate aut gravi incommodo in oboediendo praescriptis Superiorissarum, vel ex iudicio sodalis de non bonitate praescriptorum Superiorissarum.

Impossibilitas aut grave incommodum inveniri quidem potuissent:

- non relate ad clausuram rationis nummariae et ad traditionem Superiorissae documenti clausurae, quia clausura semper fieri potuisset et revera facta est die 21 Novembris 1998 et traditio documenti fieri potuisset saltem a die 25 Ianuarii 1999;

- non relate ad traditionem integri documentum aperitionis rationis nummariae eiusque extractorum omnium, quia soror in recursu hierarchico clare admisit se semper fuisse paratam ad ea exhibenda Superioribus, etsi sub condicione a se statuta;

- forsitan relate ad concessionem delegationis Superiorissae provinciali inviendi rationem nummariam apud mensam argentariam, quia Soror dixit hanc delegationem non agnosci a mensa ipsa. Soror tamen subscribere poterat illam delegationem et postea Superiorissa fortasse detegere valebat id a mensa argentaria reapse non agnosci.

Soror autem censebat praescripta Superiorissarum non esse bona. Etenim praescripta secundum Sororem:

- data essent cum Superiorissae Sorori persecutiones infligerent ex quadam mala dispositione;  
- impedimentum causarent Sorori in sua activitate apostolica.

Ad hoc vero respondendum est: etiamsi adfuissent defectus ex parte Superioris-

sarum et etiamsi Soror iudicavisset praescripta Superiorissarum bona non esse, votum tamen oboedientiae vinculat sodalem etiam in his casibus et proinde Soror oboedire debuisset.

9. – Ad proceduram dimissionis quod atinet, referre Nos debemus ad alteram proceduram, eo quod prior a Congregatione IVC-SVA approbata non fuit.

In altera procedura:

a) Superiorissa provincialis obtinuit consensum sui consilii die 9 Ianuarii 1999 (cf. can. 697 et ius proprium Instituti).

b) Superiorissa provincialis cum suo consilio dedit Sorori primam monitionem litteris diei 30 Ianuarii 1999. In his litteris:

- eadem praescripta iterum dantur sub voto oboedientiae;  
- comminatio datur subsecuturae dimissionis in casu inoboedientiae;  
- plena facultas sese defendendi Sorori datur;

- tempus utile 15 dierum statuitur ut Soror adducere possit rationes pro sua defensione (cf. can. 697, n. 2).

c) Superiorissa provincialis cum suo consilio:

- indicavit rationes pro defensione a Sorore X adductas non esse sufficientes (“können nicht anerkannt werden”) et proinde unanimiter consensum dedit ut processus dimissionis pergere posset;

- dedit Sorori secundam monitionem litteris diei 16 Februarii 1999, statuens pro defensione tempus unius mensis, id est usque ad diem 19 Martii (cf. can. 697, n. 2).

d) Elapso tempore statuto (in quo de cetero plures epistolae scriptae sunt a

Sorore et a Superiorissa) et non obtenta oboedientia, Superiorissa provincialis et consilium decisionem unanimiter sumpserunt acta omnia Superiorissae generali transmittendi (cf. can. 697, n. 3).

e) Superiorissa generalis cum suo consilio die 25 Martii 1999 probationes, argumenta et defensiones accurate perpendit et per secretam suffragationem unanimiter decisionem sumpsit Sororem ab Instituto dimittendi (cf. can. 699, § 1).

f) Superiorissa generalis die 27 Martii 1999 tulit decretum dimissionis Sororis X expressis motivis in iure et in facto (cf. can. 699, § 1).

g) Superiorissa generalis die 27 Martii 1999 decretum dimissionis Congregationi IVC-SVA transmisit (cf. can. 700).

10. – Quae omnia cum ita sint, non constat de violatione legis sive in decernendo sive in procedendo in casu et consequenter recursus Sororis X ad Hoc Supremum Tribunal dierum 21 Iunii et 9 Iulii 1999 adversus citatum decretum Congregationis reiciendus est.

QUIBUS OMNIBUS PERPENSIS

11. – Infrascripti Patres pro Tribunali sedentes, Christi Nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, proposito dubio respondendum censuerunt ideoque facto respondent:

Negative seu non constare de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 12 Iunii a. 1999.

Pro expensis et honorario Rev.di Recurrentis Patrono retineatur summa ab Instituto Y apud arcam numma-

riam H.S.T. deposita. Idem Institutum Cl.mae Patronae Publicae Auctoritatis congruum solvat honorarium.

Quam sententiam iusserunt notificari omnibus quibus de iure, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 Decembris anni 2001

(Signati)

MARIUS FRANCISCUS  
CARD. POMPEDDA, *Praefectus*  
Ioannes Petrus Card. SCHOTTE  
Gilbertus Card. AGUSTONI  
✠ Iosephus MERCIECA  
✠ Iulianus HERRANZ  
✠ Philippus GIANNINI  
✠ Eduardus DAVINO  
✠ Henricus MUSSINGHOFF  
✠ Franciscus COCCOPALMERIO, *Ponens*  
✠ Thomas Georgius DORAN  
✠ Xaverius ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ

Die 28 Maii a. 2002

Notificetur.

+ FRANCISCUS XAVERIUS SALERNO,  
*Secretarius*  
VINCENTIUS CÁRCEL ORTÍ,  
*Moderator Cancellariae*